

medium inter duo externa. E. est Virtus. Major à Virtutis genere, quod est *μεσότης* inter duo extrema, est desumpta. Hinc fortis à timido vocatur audax, ab audaci timidus, quia extremorum de alterutro quid participare fortis utriusque apparet. Minor verò ex antè dictis constat.

29. Sed responderetur negando majorem. Quia non quavis mediocritas inter duo extrema est Virtus, sed illa tantum, cujus extrema ambo sunt turpia, & proinde vituperanda. Jam verò de spontaneis actionibus quaedam laudantur; invitæ verò nec laudis nec vituperii sunt capaces. Interea non negatur quaedam actiones mixtas esse virtuosas v. g. sanctorum hominum martyria, sed non quatenus mixtae sunt, sed ob aliam rationem.

30. Tantum de mixtis actionibus in genere: de iis in specie Aristoteles quatuor proponit theoremata.

31. I. *Actio mixta laudatur, quando quis molesti vel indecori quid propter magni alicujus boni adeptionem agit.* Ita Solon aliquando simulatâ dementiâ, deformis habitu in publicam evolavit, factoque concursu hominum, quò magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus populo suadere cepit, quod veritum erat, nempe bellum movendum contra Megarenses, & vindicandam insulam Salaminem. Zopyrus ut Babylonem vigesimum jam mensem obsessam Dario traderet, nasum sibi, aures & labia amputavit.

32. II. *Actio mixta vituperatur, quâ quis molestum & turpe ob nullum vel exiguum bonum sustinet, ut si vitæ gravis per urbem interdium cursitaret nudus proposito premio centum florenorum. Sic assentatores Gnathonici vel è flamma cibum peterent,*

33. III. *Quando quis ea, quæ non deent facit, propterea quòd sustinendis malis, quæ humanam naturam excedunt, par esse nequeat, iste quidem non laudatur, veniam tamen promeretur.*

34. IV. *Quaedam verò tam sunt turpia & impia, ut nemo vi ullâ ad ea perpetranda compelli debeat, sed moriendum potius & extrema patienda sunt.* Hinc immortalem jure tribui-

B

mus